



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt II. De partibus Prudentiæ, & vitiis oppositis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](#)

C A P V T S E C V N D V M.

De partibus Prudentiæ, & Vitiis oppositis.

7

Habet 4. Dubitationes.

D U B I T A T I O P R I M A.

Quæ sint partes subiectæ Prudentia, id est, In quas species diuidatur.

De quo D.Tho.q.48. t. 50.



OTANDVM est, D.Thom. q.48. constitutæ triplex partes Prudentia; nempe subiectiuæ, potentiales, & integrales. *Subiectiuæ* vocat species seu inferiora, quo modo homo & brutum dicuntur partes animalis. *Potentiales* vocat virtutes quædam adiunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias; ita ut non habeant totam vim principialis virtutis. quo modo potentia anima dicuntur animæ partes apud Philosophos. *Integrantes* vel quasi integrantes vocat ea, quæ necessaria sunt concurrere ad perfectum actum virtutis. Hic quærimus de partibus subiectis, in quas tamquam in inferiora diuiditur.

Prudentia alia *Naturalis*, alia *Supernaturalis*. Respondeo igitur, Prudentiam posse recte diuidi priuò in naturalem & supernaturalem, sive in acquisitam & infusam. *Naturalem* voco, quæ non excedit limites rationis naturalis. Hanc solam Philosophi agnoverunt. Pendet ex *Syntesis*, quæ est notitia principiorum practicorum, ut Decalogi & similium; & ex virtutibus moralibus sui ordinis: comparaturque yisu, nascitur enim ex actibus. *Supernaturalis* est, quæ limites notitiae naturalis excedit, pender ex fide & ex virtutibus moralibus sui ordinis. Sicut enim sunt aliquæ virtutes morales commensæ prudentiæ naturali, & tendentes ad honestum naturale, quod est consentaneum naturæ rationali quæ talis est: ita etiam videntur esse quædam virtutes morales commensæ dictamini prudentiæ infusæ, tendentes in honestum supernaturale, quod est consentaneum statui hominis supernaturali: nimis hominis Christiani filij adoptiui Dei, &c. de quo plura 1.2.q.58.

Prudentia 3. Secundo, diuiditur immediate in prudentiam *personalem* seu *solitariam*, & in *gubernatrixem*. *Gubernatrix* diuiditur in quatuor species; *Oeconomicam*, *Civilem*, *Legislaticem*, & *Militarem*. Itaque in viuierum ponuntur quinque species Prudentiæ. Ex quibus quatuor priores ponit Aristoteles 6. Ethic.c.8. & vocat partes Prudentiæ. quintam addit D.Th. q.50.art.4.

Solitaria seu *personalis* est, qua quis in singulis actionibus spectat quid agere deceat, proprium intendens bonum.

Oeconomica, qua quis recte gubernat familiam, eius bonum solum spectans.

Civis seu *politica* est, qua quis recte administrat ciuitatem, legesque seruari curat.

Legislatrix seu *nomothesia* est, qua quis idoneas leges condit.

Militaris, qua militia ritè administratur.

4. Ratio harum specierum est, quia Prudentiæ generatiæ acceptæ est procurare bonum hominis operationum directione: hoc autem procuratur vel directe, vel indirecte, scilicet amolendo ma-

la, quæ bonum hominis impediunt. Si indirecte, hoc fit per prudentiam militarem, qua hostes bonum publicum & priuatum perturbantes auertuntur. Si directe, vel procuratur bonum proprium, vel communitalis: si proprium, erit prudentia personalis. Si vero communitalis, cum vel familia, vel Republica. Si familia bonum intendatur, erit *Oeconomica*. Si Republica, id fieri vel ferendo leges (quod proprium est supremi Principis) & sic erit *Legislatrix*: vel curando proximè ut mandentur executioni, (quod fit per magistratus immediatos) & sic erit *Prudentia civilis*. Per *civilem* enim non intelligit Aristoteles virtutem subditorum, qua legibus parent, (vt D.Th. videtur accipere) sed magistratum, qua curant leges seruari, & totam Rempubl. gubernant, vt recte Eustriatus expavit. Nam Aristoteles ponit duas huius partes, *Consultricem* & *Iudicatricem*: illa præbet in duabus consilium, haec exercet iudicia in tribunaliis; quorum utrumque pertinet ad personam publicam. Adde, non est opus peculiariter prudentia in ciue ut legibus communibus pareat, sicut nec domesticis ut præceptis patris familiæ.

Hic tamen Notandum est primò, solam *Prudentiam personalem* abolute dici Prudentiam, & *Prudentia hominem* facere absolute & impliciter prudentem, vt docet Aristoteles c.8. Quia is solus absolu⁵tem, & *Prudentia personalis* est abolute *Prudentia*, qui sua præ ceteris omnibus curat, scilicet omni virtute exornans, & prudentia enim per se primò curat bonum suum, id est, sui subiecti. Ceteræ vero prudentia species non vocantur absolute nomine *Prudentia*; sed secundum quid, seu eum adiuncte; vt prudentia *Oeconomicæ*, vel *Civiliæ*, vel *Legislatrix*, vel *Militariæ*: quia non spectant bonum suum, sed alienum, unde neque necessariò postulant, neque faciunt affectum habentis rectum; sed potius affectum alienum, præsertim *Oeconomicæ*, *Civiliæ*, & *Legislatrix*; quia intendunt bonum communitalis; nempe ut familia vel Republica secundum virtutem degat. Nam militaris potius videtur esse ars quadam disponendi exercitum ad prælium, quam species *Prudentia*: sicut ars nautica, ars negotiandi, & similes. Vnde quidam de arte militari scripsierunt. Potest tamen poni species *Prudentia*, quatenus disponit & curat ut milites fortiter & cum virtute militares functiones obeant. Hoc enim videtur propriè officium *prudentiæ militariæ*. Vnde supponit artem militarem, eique addit rationem diligendi milites secundum virtutem.

Notandum secundò, singulas species dictas possit rursus in multas alias vel species, vel potius *Quatuor species Prudentia* in partes veluti integrantes diuidi. Probabile enim *Prudentiam personalem* tot habere partes specie *Prudentia* *varii partis* distinctas, quæ sunt species Virtutum. Non enim *bis confitit* qui prudens est in functionibus Iustitiae, statim *quasi integrans* est *gratibus*.

A 4

est prudens in functionibus Temperantiae, vel Fortitudinis: quamvis ut absolute dicatur prudens, debeat in omni materia virtutis passum occurrente prudens esse. Idem dicendum de Prudentia Ciuii, Oeconomico, Legislatrice, & Militari. Varia enim sunt genera militiae, & gubernationis ciuilis & domesticae, ratione variarum circumstantiarum, tum loci, tum personarum, tum finium adiunctorum, (ut commodorum vel incommodorum) qua diversissimam rationem agendi postulant, ut bonum exitum habeant.

⁷ Notandum tertio, Prudentia personalem quodammodo complecti omnes alias prudentiae species, quia potest se extenderet ad omnes illarum functiones, dictando de iisdem actionibus de quibus ipsae, sed sub alia ratione. Quidquid enim ordinatur vel iuber patresfamilias per prudentiam oeconomicam, spectans bonum familiae, potest ordinare & iubere per prudentiam personalem, spectando bonum honestum sua actionis; nempe ut officio suo satisfaciat. Quatenus enim in agendo spectat ut familia recte sit disposita, dirigit suam actionem prudentia & economica, ut verò intendit satisfacere suo officio, vel agere id quod decet suam personam, dirigit eam prudentia personali. Idem dicendum de Ciuii, Militari, & Legislatrice.

Itaque prudentia personalis omnino completa, qua quis in omni statu, seu officio potest se gerere ut decet, includit illas prudentias tamquam partes, superaddens illis respectum ad proprium bonum, quod est honeste agere. Neq; enim Rex potest habere prudentiam uariorum necessaria, & facere omnem id quod se decet, nisi norit leges utiles ferre; & ita requirit prudentia Legislatricem. Neq; Magistratus officio suo satisfacit, qui non nouit Remp. administrare, iudicia exercere, bono ciuium consilere; & ita requirit Ciulem. Et hoc est quod vult Aristoteles c. 8. in principio, cum ait; *Prudentiam & Ciulem (πολιτικὴ) esse eundem habitū, sed non habere eamdem rationē seu idem esse.* Prudētia enim completa includit Ciulem & reliquas tamquam sui partes: refertamen illarum materiam ad suum finem: & ita distinguitur ratione formalis. vide Gynaldum in lib. 6. Ethic. q. 14. Si tamen Prudentia personalis accipiat ut dirigit hominem constitutum extra publicum officium, sic non includit illas, sed est species omnino distincta à ceteris.

DVBITATIO II.

Quenā sint partes integrantes Prudentiae.

D.Thomas q.49.

⁸ Notandum est, Partes integrantes Prudentiae posse dupliciter ponи; Primo, ut partes integrantes dicantur illae, ex quibus veluti membris Prudentia tota propriè constat. Non enim Prudentia est simplex aliquis habitus, sicut neque scientia speculatoria, sed constat multis partibus instar totius heterogeneorum, respicientium diversam rationem honesti, quae est in diversis virtutibus. Aliis enim regulis & notionibus diriguntur functiones iustitiae, aliis temperantiae, aliis fortitudinis & patientiae: quae tamen omnes necessaria sunt ad integrum & absolutam Prudentiam. Dicitur autem Prudentia una virtus, sicut Theologia & Physica dicuntur una scientia: nempe quia respicit unum obiectum generale, quod est vivere secundum virtutem, idque sub uno codemque modo tendendi, qui est considerare singulas actiones cum omnibus circumstantiis, de quo plura 1.2.q.57. Verum D.Th. non loquitur hoc modo de partibus Prudentiae; quia non videtur tales ponere. Secundo, ut partes integrantes Prudentiae dicantur quedam functiones, sine quibus non habetur perfectus virus prudentiae. Hoc modo ponit octo partes prudentiae, memoriam, intelligentiam, docilitatem, sa-¹² Octo partes lertiam, prouidentiam, rationem, circumspetionem, integrantes cautionem, è quibus solertia & docilitas maxime iuvant ad acquirendam prudentiam. memoria, intelligentia, prouidentia, ratio, potissimum iuvant ad vsum prudentiae in consultando & iudicando, cautio & circumspetio ad executionem operis, quae dicitur fieri in perio Prudentiae.

Memoriam vocat recordationem eorum quae legimus, audiimus, vidiimus, aut alteri experti sumus. Ex his enim sapienter facilè colligimus quid in praesenti negotio expediat; plurimum enim valent tum exempla aliorum, tum experientia ipsa ad Prudentiam.

Intelligentiam vocat notitiam presentium: ut enim prudenter iudices, necesse est presentem starum rei tibi esse probè perspectum. Potest etiam hoc nomine significari notitia principiorum moralium.

Prouidentia dicitur confederatio futurorum eventuum, qui possent se qui ex opere.

Ratio dicitur promptitudo quedam ratiocinandi, & aliud ex alio colligendi.

Docilitas accipitur pro affectu & promptitudine ad descendum.

Solertia (quam Arist. vocat *ἀληθείας*, & melius Latinè diceretur sagacitas) est species bona coniectionis, (qua iphi dicitur *ἐγνωσία*) est enim solertia, seu sagacitas, medijs (id est rationis aliquius cur res sit probanda vel improbanda) inuenito tempore breuissimo, ut idem Aristoteles docet lib. 2. prior. Analyt.

Circumspetio est confederatio circumstantiarum, ne qua deficit in opere.

Cautio est cura ut vitentur incommoda, quibus res est exposita, v.g. ne proximus offendatur, ne incidas in aduersam valetudinem. poterat hæc sub circumspetione comprehendendi.

Notandum est, non omnes hos actus à diversis habitibus proficiunt: Cautio enim, Circumspetio, Prouidentia, & Intelligentia sunt actus Prudentiae, quia intrinsecè includuntur in prudenti iudicio, & executione. Memoria, Ratio, Solertia, & Docilitas tantum requiruntur ad acquirendam Prudentiam, vel ad acquisitionem perfectiorem vsum,

DVBITATIO III.

Quae sint partes potentiales Prudentiae.

D.Thomas q.51.

¹² Respondeo, Valde ingeniosè à D.Th. ponit res partes potentiales Prudētiae, *Eubuliam*, *Synecdochen*, & *Gnomen*. Per *Eubuliam* intelligit habitum ^{Tras partes} ^{potentiales} ^{Prudētiae} quemadā, qui præbet facultatem recte consultandi: id est, inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis & perplexis. Per *Synecdochen* habitum recte iudicandi de consultatis, idque ex consideratione communium principiorum practicorum, scilicet legum naturalium & posituarum, & finium illarum, quos fines Legislator spectauit. Per *Gnomen*, habi-

Prudentia
non est ba-
bitus sim-
plex.

habitum recte iudicandi ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, iuxta tamen mentem Legislatoris. vide Caiet. qu. 120. a. 1. & 2. Vocat autem has partes potentiales Prudentiae; quia Prudentia his vitetur ad suum finem, veluti membris quibusdam suis; vel ut anima vitiatur suis potentis ad suum finem. Sicut enim in singulis animae potentis elucet vis & conditio animae, et si non plenè: ita in istis facultatibus, eorumque functionibus elucet natura & conditio Prudentiae, et si non adæquata.

¹³ Vtrum sint habitus distincti ab habitu Prudentiae, dubitari potest. Probabilis est non esse ab illa distinctos realiter, sed esse ipsam Prudentiam inadæquata consideratam; nempe ut se ad hanc vel illam functionem extendit; ut probat Gyraldus lib. 6. q. 15. Probatur, quia Prudentiae proprium est inquirere media ad finem idoneam; atqui hoc fit bona consultatione; ergo bona consultatione est actus proprius Prudentiae. Vnde recte Aristoteles ait resp. 7. lib. 6. *Prudentia maxime opus esse dicimus, recte consultare.* Neque satisfacit, si dicatur, Prudentiae proprium est bene consultare, quod impetrat illam; nam consultatio de mediis non imperatur propriè à Prudentia, sed à cognitione & amore finis. In qua cognitione finis non tam cernitur Prudentia quam synteresis. Cernitur autem primò in consultatione, si benè fiat: ergo bona consultatione est prima functio in qua Prudentia elucet. Quod etiam recte iudicare sive ex ipsis legibus, & earum finibus, quod facit *synesis*, sive ex altiori consideratione, quod facit *gnome*, sit actus Prudentiae elicitus, pater; quia per hunc actum Prudentia imperat voluntati, tamque & potentias inferiores in executione dirigit; ut supra ostensum est.

¹⁴ Dices, Aristotelem per synesim non videri significare partem aliquam Prudentiae, seu iudicium Prudentiae præcedens executionem; sed perspicaciam quamdam ingenij in alio, qui de iudicio & facto prudenter acute iudicat, ut exponit Eustathius in cap. 10. lib. 6. dicitur enim *oueròs καὶ ιωνίες*, teste Aristotele ibidem, qui altero aliquid dicere vel faciente statim potest percipere, recte an secus dictum factumve sit; sicut discipulus dicitur *ξυνέ-ντες & ιωνίες*, qui statim percipit quod magister docet. Vnde apud Græcos *ξυνέντες* sèpè usurpat pro *μαρτάνεις*, quod est percipere quod alias dicit.

Respondeo, verum esse, Aristotelem quidem hoc pacto synesim ibi accipere: non tamen negat quin similis facultas in prudente requiratur circa inventa per consultationem. Vnde recte D. Th. posuit partem Prudentiae. Imò ipsemet Aristoteles lib. 1. Magnor. moral. c. 35. expressè docet Synesim esse Prudentiae partem: quamvis interdum esse possit in eo qui non est prudens. Per *γνώμην* idem intelligit Aristoteles, quod D. Thomas, nam lib. 6.

¹⁵ Quid Gno-
me Arist. Ethic. cap. 11. dicit Gnomem esse Rectum iudicium æqui & boni. *Æquum & bonum* (quod Græcis dicitur *ποίησις*) est, quod cum sit contra verba legis, (et si non contra mentem Legislatoris) iudicio prudentis definitur; vel ut Aristot. lib. 5. c. 10. definit, est *correctio legis, quatenus deficit ob viuera- falem locutionem*. Eodē pertinet sententia D. Thoma, cum ait Gnomem iudicare ex principiis extraordinariis contra verba legis. idem enim valent, corrigere legem vbi deficit ob viuera falem locutionem, (quod propriè ad gnomem pertinet) & iudicare ex altiori principio contra verba legis.

Ratio autem cur interdum opus sit hac correctione legis, & consideratione altioris principijs, quām sit finis proximus legis, est, quia leges viuera falem latet sunt, ut legislator finem proximum, quem per illam intendit, ut plurimum aequaliter: quo sit ut multi casus occurram, in quibus non expedit eas seruari, quia aliquid fieret contra aliam Legislatoris intentionem, & contra bonum publicum vel priuatum. Viuera falem Regulae in rebus practicis patiuntur multas exceptiones, haec exceptiones quia verbis legum comprehendendi non poterant, reliqua sunt iudicio prudentium, & vocantur *ποίησις*; id est, æquum & bonum. Iudicium vero quo de illis iudicatur, vocatur *Gnomus*, quod Latinè benignam sententiam possimus nominare: hoc autem peti debet ex altiori consideratione, ob quam verba legis non sunt seruanda. In legibus penalibus dicitur *σύνθετον*, id est, *Σύνθετον*, *æquum & bonum*. Exempli gratia, lex viuera falem præcipit, *Qui occidit, occidatur*. Tu tamen in iuafus ab alio occidisti: *Vir æquus, per γνώμην* indicat verba legis hic non esse seruanda, teque non esse morte puniendum: quod iudicium pender ex alia consideratione, quām præceptum legis illius. Virtus vero quæ in voluntate respondet huic iudicio, dicitur *εὐενέλεια*. Vnde sicut *εὐενέλεια* se habet *εὐενέλεια* ad iustitiam, ita *γνώμη* se habet ad prudentiam. Est igitur pars potentialis Prudentiae sive Prudentia ipsa, ut veretur circa æquum & bonum: sicut *εὐενέλεια* est pars iustitiae, & iustitia quadam, ut recte Aristoteles cap. illo 10. docet; quod quomodo verum sit, dicitur infra cap. 47. Dub. 9.

DUBITATIO IV.

Quot & quibus modis peccetur
contra Prudentiam.

D. Thomas' quest. 53. 54. 55.

Dico Primò generatim loquendo, omne peccatum est contra prudentiam. patet, quia omne peccatum est contra iudicium prudentiae, sicut omne opus bonum est secundum iudicium Prudentiae.

Aduertere tamen, non esse necessarium, ut sicut omne opus bonum sequitur ex iudicio prudenti, ita omne opus malum sequatur ex iudicio imprudenti; potest enim sequi ex iudicio indifferenti, quo aliquid iudicatur non quidem esse honestum, vel turpe, sed esse delectabile, vel molestum. Hoc enim iudicium sufficit ut voluntas possit illud opus velle, aut nolle, ut ostensum est 1. 2. quest. 9. a. 1. dub. 4. & 5.

Dices, Omnis peccans est imprudens, imò & ignorans, teste Aristotele: ergo omne peccatum sequitur ex errore, vel ignorantia.

Resp. Negandam consequentiam. Dicitur imprudens, non quod semper imprudenter iudicet, ¹⁷ Omnis pec-
cans igno-
rans.
sed quia imprudenter (id est, contra prudentiam dictamen) operatur. Dicitur ignorans, non quod necesse sit ut ignoraret rem esse turpem, vel noxiā saluti; sed quia vel ignorat, vel non fatis considerat illam turpitudinem, quam si consideraret, ut par est, non faceret. Et quamvis fieri possit ut aliquis plenissimè rei turpitudinem considerans, eam nihilominus faciat, propter voluntatis libertatem, qua sicut bonum honestum etiam clare propositum non necessariò amplectitur, sed potest

potest repudiare, ob molestiam annexam; ita obiectum turpe clarè propositum non necessariò repudiat, sed potest amplecti ob voluptatem annexam: tamen hoc rarissimè fit. Vnde vniuersè dici potest, omnem peccantem esse ignorantem.

¹⁸
Cōtra Prudētiam
peccatur,
excessus &
defectus.

Dico Secundò, Si magis speciatim loquamur, dupliciter contra prudentiam peccatur, iuxta D. Th. Per excessum, & per defectum. Probatur, quia sicut obiecta aliarum virtutum consistunt in medio, ita etiam obiectum Prudentia: (idem enim est obiectum circa quod versatur Prudentia consultando, & iudicando, ac alias virtutes inclinando) ergo sicut contra alias virtutes potest peccari per excessum, & defectum; ita contra prudentiam.

¹⁹
Defectus,
quatuor
modis.

Dico Tertiò, Per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter, præcipitatione, inconsideratione, inconstitutia, & negligentia. Probatur, quia ea peccata sunt propriè contra prudentiam, quæ sunt contra regulas prudentiae, quas ipsa in suis functionibus seruare debet; item quæ sunt contra functiones proprias prudentiae; atque hæc peccata sunt talia; ergo Minor patet; Prima enim regula Prudentia est, ut priuilegium opus aggreditur, vel indicium feras, deliberas de mediis, de modo & ordine exequendi, de cauendis impedimentis, &c. contra hanc regulam est præcipitatio, quæ proposito aliquo fine itatim opus aggreditur, vel certè iudicat de mediis, & modo exequendi, omissa deliberatione. Secunda est, ut rem de qua iudicandu est, eiusq; circumstantias diligenter inspicias: contra hanc est inconsideratio, quæ iudicat, omissa diligenti inspektione. Tertia est, ut rebus deliberatis & recte iudicatis inhæreas, neque te finas ob leues rationculas diuelli. contra hanc est inconstitutia, quæ sine villa, vel certè sine iusta causa mutas sententiam. Quarta est, ut rem deliberatam & iudicatam, opportuno tempore mandes executioni. contra hanc est negligentia. Hæc tamen dupliciter potest considerari: Primo, ut est omisso diligentia requisita in ipso opere externo, & sic non est directè contra prudentiam, sed contra virutem, in cuius materia versatur; ut negligentia in orando, est contra Religionem; in soluendo debito, contra iustitiam. Secundo, ut est omisso diligentia requisita in actu intellectus excitantis & dirigentis voluntatem & vires externas ad executionem; & sic est contra prudentiam. Præcipitatio igitur est directè contra consilium: inconsideratio contra iudicium: inconstitutia contra iudicij firmitatem: negligentia cōtra rationis vigilantiam in exequendo. Est enim omisso actuū rationis, qui necessarij sunt ut opus suo tēpore fiat.

²⁰
Qualia
sine per-
cata.

Notandum autem est Primo, Sicut prudentia vera supponit, & includit appetitum honesti, sine quo appetitus nuda illa notitia intellectus non habet rationem prudentiae: ita prudentia carnis, quæ est falsa prudentia, supponit, & includit affectum operum carnis, sine quo affectu non dicetur prudentia carnis. Supponit quidem; quia iudicium omnis prudentia sine verâ, sine fallâ, plurimum pender ex affectu. qualis enim quisque est, ita iudicat, ut Aristoteles ait, id est, quisque iudicat conuenienter suis affectibus. Includit vero; quia prudentia non significat qualemcumq; notitiam mediiorum, sed directam & ordinatam ad opus: itaq; includit affectum operis. Vnde Apostolus nomen prudentia seu *prudentia* vel *prudentia* passim vñpat pro affectu aliquius boni honesti, aut delecatibilis, mouēt intellectum ad excogitationem mediiorum, quibus illud obtineatur; vel pro cogitatione intellectus, quæ ab affectu, seu intentione ad illud bonum ordinatur. Sic cap. 1. ad Rom. sapere secundum carnem mors est: ἥπερ γάρ τὸ θάνατον id est, habere affectum & cogitationes intentas ad opera carnis. Simili modo accipit, cum ait: *Prudentia spiritus vita, & pax.* Et ad Philipp. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Græcè, τίποτε διδώσει ψυχήν, id est, talis sit in vobis affectus, vel talis cogitatio, ex affectu procedens.

Notandum Secundò, Prudentiam carnis imitari veram prudentiam; quia sicut hæc querit, & inuenit media verè idonea ad finem honestum; ita illa querit, & inuenit media verè idonea ad finem dele-

peccato mortali teneris, vel ita sis animo remisso ad ea quæ salutis sunt, ut euidenti periculo aliiquid tale negligendi te exponas.

Notandum Secundò, Ad prædicta peccata reduci alia quædam, que non iunctam directè contra prudentiam, ut *obliniostatem, indocilitionem, & defectū ratiocinandi, ad precipitatem: defectum intelligentia, castela, & circumspectionis, ad inconsiderationem, ad eamdem referit potest imprudentia, & defectus solerter: etli D. Th. referat ad inconstitutiam, & negligentiam.* sed res est paru momenti.

Dico Quartò, Per excelsum, vel potius quadam specie & imagine prudentia, peccatur contra Prudentiam sex modis, iuxta D. Th. *Prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & sollicitudine futurorum.* Prudentia carnis dicitur, qua prædicata viuit secundum carnem: ut colligitur ex Apostolo ad Rom. 8. vbi opponit prudentiam carnis prudentia spiritus; & sapere secundum carnem, ei quid est sapere secundum spiritum. Nam finis prudentiae carnis est vivere secundum carnem, sicut finis prudentiae spiritus est vivere secundum spiritum. *Vivere autē secundum carnem est sequi vivere secundum carnem & motus naturæ corruptæ; seu est facere opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, & cetera,* quæ Apostolus recenset cap. 5. ad Galat. Itaque prudentia carnis est, quæ ex cogitatione media ad opera carnis cōplenda. Sicut prudentia spiritus est, quæ ex cogitatione media ad opera, seu fructus spiritus, de quibus Apostolus agit eodem capite. Sicut enim omnis virtus habet suam prudentiam, qua tamquā regula in suis functionibus dirigatur, ut opus suū honestum reddat (quod est eius finis intrinsecus:) ita omne viuum habet suam quamdam falsam prudētiā, quæ dirigatur ad obtinendum bonum delecatibile, quod est eius finis; hæc dicitur prudentia carnis.

Notandum autem est Primo, Sicut prudentia vera supponit, & includit appetitum honesti, sine quo appetitus nuda illa notitia intellectus non habet rationem prudentiae: ita prudentia carnis, quæ est falsa prudentia, supponit, & includit affectum operum carnis, sine quo affectu non dicetur prudentia carnis. Supponit quidem; quia iudicium omnis prudentia sine verâ, sine fallâ, plurimum pender ex affectu. qualis enim quisque est, ita iudicat, ut Aristoteles ait, id est, quisque iudicat conuenienter suis affectibus. Includit vero; quia prudentia non significat qualemcumq; notitiam mediiorum, sed directam & ordinatam ad opus: itaq; includit affectum operis. Vnde Apostolus nomen prudentia seu *prudentia* vel *prudentia* passim vñpat pro affectu aliquius boni honesti, aut delecatibilis, mouēt intellectum ad excogitationem mediiorum, quibus illud obtineatur; vel pro cogitatione intellectus, quæ ab affectu, seu intentione ad illud bonum ordinatur. Sic cap. 1. ad Rom. sapere secundum carnem mors est: ἥπερ γάρ τὸ θάνατον id est, habere affectum & cogitationes intentas ad opera carnis. Simili modo accipit, cum ait: *Prudentia spiritus vita, & pax.* Et ad Philipp. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.* Græcè, τίποτε διδώσει ψυχήν, id est, talis sit in vobis affectus, vel talis cogitatio, ex affectu procedens.

Notandum Secundò, Prudentiam carnis imitari veram prudentiam; quia sicut hæc querit, & inuenit media verè idonea ad finem honestum; ita illa querit, & inuenit media verè idonea ad finem dele-

Prudentia carnis imitatur veram prudensiam. delectabilem, ad honores, &c. Vnde non est necessarium in iudicio huius prudentiae esse errorum, seu falsitatem; quia non est necesse ut media non sint idonea ad finem, vel ut iudicet illa esse absoluē bona: sed satis est si iudicet esse conuenientia ad finem propositum, ad quem vere idonea sunt. Poteſt tamen tale iudicium dici prædictè falso, quia est cauſa prauæ electionis; sive quia non est conuentaneum appetitū recto.

Notandum Tertiō, Prudentiam carnis non esse peccatum, nisi ratione affectus praua, cui subest. Vnde si hic sit peccatum mortale, erit peccatum mortale; si veniale, erit veniale, vt patet ex dictis 1. 2. q. 17. a. vlt. Consilium enim & iudicium sunt actus imperati ab intentione. Vnde accipiunt suam bonitatem vel prauitatem ab intentione.

Aſtutia generatim, est ratio aliquid agendi modo occulto. Dicuntur enim astuti in contractibus & negotiis, qui norunt modos agendi non paſſim obuios, quibus vel alios decipiunt, vel caueant ne decipientur. Videatur ab Aristotele vocari *ſeu, eterne (ſolertia) quidam interpretantur* quam ipſe etiam in malis ponit, vt patet lib. 1. magnorum Moralium c. vlt. vbi dicit *omnem prudentem esse ſolitatem, i. aſtutum vel ſolitatem, ſed non contra: quia malus etiam ſolitatem, ſoliters eſt. ſicut Mentor qui videbatur quidem ſolitatem, (ſoliters) non tamen erat prudentis: itaq; aſtutia generatim accepta, eſt quid communius quam prudentia. Verum hī accipitur magis ſpecialiter, nempe pro notitia prauorum mediiorum ad fallendum idoneorum, cum affectu exequendi coniuncto. Hoc modo accipit D. Augustinus lib. 4. cōtra Iulianum cap. 3. cū ait, *omnibus virtutibus quædam virtus eſt ſimilitudinē ſicut aſtutia Prudentie ſimilitudinē eſt, qui tamen eſt virtus*. Et Apostolus 2. ad Corinth. 4. *Non ambulantes in aſtutia, Græcē ἐπαρεγγέλιον, qui nomine propriè significatur hæc vitiola aſtutia: quia aſtutū omnia tentant, in omnem partem ſe vertunt, vt rem conficiant. Continet artem simulandi & diſsimulandi. Habet locum in ijs functionibus que proximum reſpiciunt. nemo enim ſibi ipſe aliquid occultat, vel in modo agendi ſibi aliquid occultum optat, fed tantum proximo.**

Videatur hæc aſtutia species quædam prudentia carnis. Hi enim maximè videntur prudentes ſecundū carnem, qui modos norunt occultos obtinendi temporalia, fallendo alios.

*Quale pec-
cam.*

Eſt peccatum mortale vel veniale, pro ratione affectus cui subest, & documenti quo proximo ſequitur: ſi enim expreſſe vel implicitè graue no- cumentum intendas, erit peccatum mortiferum: ſicut mendacium pernicioſum. Item ſi graue malum ſequatur, idque aduerteris vel faciliè aduertere potueris: tunc enim eſt intentio tacita, ſeu interpretationina. Si autem nullum fit no- cumentum, vel modicum, erit veniale: ſicut mendacium offi- ciosum, & iocoſum. Vide Caſtanum in Summa, verbo *Aſtutia*.

Dolus.

Dolus eſt aſtutia executio, ſive verbis, ſive fa- cies: eſt enim hoc nomen generale. Tantum habet locum erga proximum, & potiflum in materia Iuſtitia, vt in contractibus & distributionibus. Duobus modis, ſecundū Iurisperitos, dolus venit in contractum. Primò, dando cauſam contra- tractui. Dicitur autem dare cauſam contra- tractui, quando ſi dolus abfuſſet, alter nullo modo vo- luſſet contrahere. Secundò, non dando cauſam;

*Dolus ve-
nit in con-
tractum
diſcreti-
tate.*

ſed ſolim incidente in contractum: vt quando contractus fuſſet quidem initus, ſed non eo pre- tio, verum maiori aut minori. Vtrum autem & quando dolus contractum vel aliam dispositio- nem irritam reddat, & quando non, dicemus in- frā Lib. 2. cap. 17. Dubit. 5.

Porrò ignorantia Iuris, eſti crassa fit, ſemper *Ignorantia adolo ex-
cusat* à dolo, & conſequenter à poena legis, *adolo ex-
cusat.* quando ad eam incurrēdā lex requiri dolum ſeu preſumptionem: quia ignorantia crassa dolum non eſt.

Nec obſtar quod culpa lata dicatur & equiparari *Quando
dolo*; hoc enim ſolim eſt verum quando lex non *cupa qui-
rebit dolum, preſumptionem, aut ſcientiam; pareatur
dolo.* ſed ſimpliciter loquitur: & in actionibus deſcen- dentibus ex contra- tratu, vel quali contra- tratu, vt no- nat Silueſter verbo *Culpa*, q. 3. & 11. ex Bartolo, Cyno, & alijs.

Frauſ eſt exercitio aſtutie per facta, vt cū *Frauſ.* mensura eſt minor iusto, cū moneta eſt adulte- rina, vnde eft quid contra- tratus & minū commu- ne quam dolus. Itaque dolus & frauſ ſe habent ad aſtutiam, ſicut pactiones & actiones iusta ad Prudentiam. Sicut enim hæc diriguntur iudicio & regulis prudentie; ita illa iudicio & regulis aſtutie. Quare hi modi agendi contra prudentiam non ſunt diſtincti ab aſtutia, ſed executiones tan- tum, ſeu actus externi aſtutie. De his duobus di- ci ſoler, *Frauſ & dolus nemini debet patrocinari.* Habetur cap. Ex tenore. 16. de Reſcriptis. Item: *Fraudem non fieri ei, qui ſicit & conſentit, L. Nemo.* & de Regulis iuris.

Dicitur etiam frauſ fieri vel *contra legem*, vel *ipſi legi. Contra legem*, quando fit contra id quod *Agere in
lege præcipit vel vetatur, abſque colore & arti-
ſificio, quo violatio illa tegatur. Legi verò, quando
legis.* artificio quodam ita agitur contra mentem legis, vt videamus illi non repugnare. hoc autem fit potiflum tribus modis, vel iuxta Silu. v. *Frauſ* quatuor. Primò, ſupponendo perfonam pro per- fona. vt ſi coniux volens donationem facere coniugi, (quod non potefit per leges) ſupponat aliam perfonam cui donet, cum onere transferen- di in coniugem. Si tutor volens emere rem pupilli, (quod per leges non potefit) interponat aliam perfonam qua eſat. Secundò, ſupponendo rem pro re. vt ſi filioſi familias volens dare mutuum, loco mutui des triticum vendendū, vt preio fra- tur, nimur ut hac arte eludas vim L. 1. π. de Se- natuſ consul. Macedon. vbi ſtatuitur vt filius familias ex mutuo non teneatur. Tertiò, cōtractum pro contra- tratu. vt ſi vxor in ſpeciem vendat viro, quod intendit donare. Si beneficiarius ſpecie mutui accepti, vel etiam gratitudinis, ſoluat centum aureos ei a quo beneficium accepit. Si mulier, qua fideiubere non potefit, (per L. 2. π. ad SC. Velleianum) faciat ſe principalem debitricem. Qui his & ſimiſibus modis agunt, dicuntur face- re fraudem legi, vel in fraudem legis, & non ex- culſant coram Deo à prauaricatione legis, eti- coram hominibus videantur legem feruare.

Solicitude temporalium eſt nimia mentis occu- *Solicitude
tempora-
lium.* patio in illis conquirēndis vel conſeruandis, pro ueniens ex in ordinato habendi amore, vel amit- tendi timore. Itaque tria in hoc vitio includuntur: prium eft, nimius affectus ad bona tempo- ralia: ſecundum, timor & anxietas quædam, ne vel conatus nostri in ijs corradiendis non ſatis bene

benè succedant, vel damnum aliquod interueniat: tertium, nimia occupatio mentis in illis cogitandis & tractandis.

Solicitude futurorum est nimia animi occupatio circa futura, maximè vt vita necessaria habeantur, coniuncta cum anxietate & parua fiducia diuinæ prouidentie. vt cùm quis plū quam par est sollicitus est de vieti, vestitu, alijsque rebus necessarijs, in futurum annum, mensem, vel diem, est species sollicitudinis temporalium.

Hæ sollicitudines, si modum iustum excedant, maximè sunt noxia saluti. Primo, quia includunt cupiditatem rerum temporalium, quam Apostolus 1. ad Timoth. 6. vocat *radicem omnium malorum*. Radix, inquit, omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt a fide, & infixerunt se doloribus multis, de qua infra lib. 2.c. 47. Secundo, quia impediunt animum à seria cogitatione rerum ad salutem pertinentium: quo nihil potest esse magis perniciosum. bona enim spiritualia nisi attente & crebro cogitentur, non cognoscitur eorum dignitas & pulchritudo: quod autem non cognoscitur, non aestimatur; quod non aestimatur, non amatur, non queritur, facile negligitur & contemnitur. Pari modo, peccatorum malignitas, & damna immensa, nisi attenta consideratione, non cognoscuntur; quo fit vt etiam non horreantur, nec vitentur vt par est. Et sanè, si quis diligenter aduertat animum, deprehendet omnes ferè lapsus & peccata hominum ex defectu considerationis prouenire; vt merito dixerit Aristoteles, *omnem peccatum esse quodammodo ignorantem*. Nam omnes, vel ferè omnes idèo peccant, quod malitiam peccati, & pœnam ipsi debitam, vel non considerent, vel non satis considerent; quantum videlicet in tali articulo conuenirent.

Hinc Scriptura vocat peccatores stultos, factios, insensatos, insipientes. Non tamè hinc inferas, omne peccatum esse ex ignorantia, hoc enim postulat vt nesciat esse peccatum. Tertiò, quia bonas inspirationes impediunt, ne fructu pariant. Vnde Matth. 13. dicitur, sollicitudines seculi, tamquam spinas quasdam, fenen verbi diuini suffocare. Itaque cum huius in considerando defectus causa sit, maxima ex parte, temporalium sollicitudo, perplacuit illam esse valde perniciosa, & vitandam. Vnde Dominus multis rationibus conatur eam nobis eximere, Matth. 6. Ideo, in scripturis, dico vobis, ne sollicuti sitis anima vestre quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. idque confirmat Primo, quia qui animam dedit, quæ longè est præstantior quam esca, dabit etiam escam: & qui corpus dedit, dabit vestimentum. Secundo, Si Deus, qui est Pater vester, pafcit aues cali, quæ neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; quanto magis pafcit vos suos filios? Tertiò, Si pucherrime vestit lilia & fo-

num agri, quomodo patietur vobis vestes necessarias deesse? Ex his concludit, rursus repens quod antè dixerat: *Nolite ergo solliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

Deinde addit nouas rationes. Prima est, quod Gentium sit, diuinam prouidentiam & paternam Dei curam ignorantium, hæc anxiè inquirere. Secunda, quod Pater noster caelstis sciat nos his omnibus indigere: ac proinde, si ante omnia queramus regnum Dei, & iustitiam eius, (quod ipse à nobis requirit) hac omnia tamquam vilia & parui momenta nobis adjicienda, sicut in emptione rerum pretiosarum, vilia quedam mantisæ loco adiici solent. Tertia, quod crastinus dies, cùm præsens fuerit, sollicitus erit sibiipso sufficere enim diei suam malitiā, id est afflictionem & sollicitudinem ipsi congruentem; nec oportere eam ex futuris diebus accersere & præcipere.

Ex his colligas quanti haec res sit momenti. vide Chrysost. Hom. 22. in Matth. Eandem vetat Lucæ 21. *Attendite ne forte grauenter corpora vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vite, & superneniat in vos repentina illa dies.* Omitto alia Scriptura loca plurima.

Petes, An ergo sit peccatum mortiferum.

Resp. Non semper esse peccatum mortiferum; sed tunc solùm, quando quis propter temporalia ^{Quæ} re ipsa violat, vel paratus est violare aliquod præ- peccatum. alia solùm est veniale, tamen ob causam supradictam summopere cauenda. vide D. Thomam art. 6. quæst. 5.

Aduerte tamen, moderatam sollicitudinem temporalium & futurorum non vetari, sed commendari. Procur. 6. *Vade ad formicam, & piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in aestate cibum sibi, & congregat in mense quod comedat.* Proverb. 10. *Qui congregat in mense, filius sapientis est; qui autem steret aestate, filius confusus.*

Ratio est, quia non vult Dominus vt omnia vite huic necessaria homini sponte, absque vila cura ipsius & sollicitudine, proueniant; id enim ipsi est occasio otii & defidiae, quæ maximorum malorum est origo, & merito puluinar diaboli esse dicitur: sed vult ab eo labore & sollicitudinem adhiberi; vt hoc exercitio occupatus avocetur à libidinibus, alijsque peccatis, quæ otium parit. Verùm hæc sollicitudo debet esse moderata, & commensa rebus quibus impenditur; vt non sit nimis anxia, qualis Deo non essemus cure: nec maior tribuatur corpori quam spiritui; rebus temporalibus quam aeternis; humanis quam diuinis, vel saltē ne hæc præ illis negligantur.

Hæc de Prudentia sufficient.

L I B E R